

Relictum visitationis peractae a Servatio de Lairuelz (1624) in Bohemia

Servatius de Lairuelz (1560-1631), absque ullo dubio annumerari debet inter abbates et religiosos maxime praeclaros qui umquam Ordinem Praemonstratensem ornavunt. In *Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*, fasc. 5, huic abbati ac reformatori Et. DELCAMBRE dicavit : *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. Averbode, 1964. LV+239 pp. Huic primo volumini addere intendebat doctus auctor alterum volumen, in quo magis in specie tractare intendebat de scriptis de Lairuelz, item ac de influxu eius spirituali. Morte correptus, Delcambre volumen istud nequidem incipere potuit.

Cum in hac expositione relictum visitationis a de Lairuelz in Bohemia peractae edere intendamus, quaedam, introductionis gratia, huic documento praemittenda sunt. Ut ét intentum generale praeclari visitoris, ét contentum ipsius relictum plenius pateant.

Mortuo abbate generali Despruets (1596), in successorem eius electus fuit, die 14 iunii 1604, Franciscus de Longpré. De quo haec notat Delcambre, l.c., p. 43 : « François de Longpré s'avéra un prélat d'une spiritualité élevée, d'une grande austérité et d'une profonde humilité. Il déploya le même zèle que son prédécesseur pour promouvoir la réforme et faire respecter dans tout l'ordre l'autorité généralice... Promu vers 1597 vicaire général de l'ordre, Servais de Lairuelz devindra le principal auxiliaire du nouveau général dans la promotion de la réforme ». Et in conclusione operis sui Delcambre, l.c., p. 222 s., haec scribit : « Dans tous les domaines, l'action réformatrice de Lairuelz fut éminemment bienfaisante ; il fut le principal artisan de la rénovation spirituelle de l'ordre des Prémontrés, et dans l'ensemble cette œuvre gigantesque constitua un succès complet... Les légères ombres, qui assombrissent cette noble figure, ne doivent pas faire perdre l'éminente sainteté du personnage: le cardinal de Bérulle eut la conviction profonde de la très haute spiritualité de Servais et manifesta le vœu de le promouvoir abbé général de Prémontré ; nous pouvons nous fier au jugement du fondateur de l'Oratoire. Lairuelz eut la passion du service de Dieu, et son zèle s'accompagna d'une pondération, d'un sens de la mesure qui lui

permirent d'adapter son action réformatrice au climat ambiant et de ne pas exiger de tous les religieux un effort d'ascèse identique.... Ce fut un ardent apôtre de la rénovation monastique, et de toutes les maisons de l'ordre de Prémontré, même celles qui ultérieurement le renièrent, subirent son empreinte salutaire d'une manière profonde et durable. Lairuelz apparaît ainsi comme l'un des grands promoteurs de la contre-réforme catholique».

Saeculo decimo sexto currente et decimo septimo incipiente, «reformatio» in Ordine Praemonstratensi, imo in tota Ecclesia catholica necessaria visa fuit. Quod sufficienter ex iis quae acta, dicta et decisa fuerunt in Concilio oecumenico Tridentino patet. Et ex iis quae consequenter ad illas decisiones in variis regionibus Ecclesiae determinata fuerunt. Quid hoc de facto pro Ordine Praemonstratensi significaverit scite exponitur a N. WEYNS, *La réforme des Prémontrés aux XVI^e et XVII^e siècles, particulièrement dans la circarie de Brabant*, in *Anal. Praem.*, XLVI, 1970, pp. 5-51. In qua expositione notat Weyns, l.c., p. 20, de Lairuelz, anno 1597, ab abbate generali de Longpré, assumptum esse in Vicarium generalem Ordinis. Qua designatione, «de Longpré manifesta son intention de continuer l'œuvre réformatrice de son prédécesseur (Despruets)». Capitulum generale anni 1605 haec, inter alia, edixit : « Statuta vero ordinis nostri etiam quantum fieri poterit, exceptis iis, quae iuri novo repugnant, observentur. Sunt enim illa ad profectum spirituales, quod medicorum aphorismi ad tuendam vel augendam sanitatem, vel quod in longa et difficili peregrinatione exacta urbium et locorum, per quae transeundum est, descriptio, Quemdadmodum enim illud ad morbos, hoc est ad errores vitandos plurimum confert, sic ad monasteria prodest talem reperisse vitae instituendae rationem, ex qua teipsum tuosque mores componere et quasi ad speculum fingere possis ». Recte ad haec notat Weyns, l.c., p. 21, n. 72, hoc praescriptum plene quadrare cum edicto Concilii Tridentini, citato ab ipso Capitulo anni 1605 ! « Regulares ad Regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant ». Prosequitur l.c., p. 22, idem Capitulum explicitis verbis monuisse Abbates ut librum, a Lairuelz compositum, : *Optica Regularium*, sibi procurent. Notat idem Weyns, l.c., p. 23, quidnam secundum de Lairuelz, uti essentielle et substantiale in Ordine observandum proponatur, reflectendo ad ea quae egit de Lairuelz qua visitator Ordinis in circariis Europae centralis.

Et. Delcambre in suo opere supra citato, pp. 94-103, in capite IV agit de hoc munere visitatorio : « Lairuelz visiteur des Circaries d'Europe

centrale». De facto legimus in Actis Capituli generalis anni 1619 (Ms. Laon 538, p. 600) : « Circarias Poloniae, Boëmiae, Hungariae, Bavariae, Sueviae, et totius Germaniae visitabit Rev. Dom. Sanctae Mariae Mussipontanae cum potestate substituendi ». Quidnam vi huius muneris sibi concrediti egerit Lairuelz, summarie exponitur a Delcambre, l.c., pp. 94-103. Quid de Lairuelz tunc egerit speciatim in canonia Wiltinensi, descriptum fuit, pluribus testimoniis adductis a S. SZANTO, *Reformversuche im Stifte Wilten nach dem Konzil von Trient* 2. Teil : *Servatius Lairuelz in Anal. Praem.*, XXXV, 1959, pp. 227-246. Ac « constitutiones » hac occasione a visitatore de Lairuelz editae fuerunt ibidem transscriptae, pp. 246-264.

His praemissis, relictum visitationis peractae a Servatio de Lairuelz in Bohemia, diei 5 augusti 1624. (Asservatum in archivo Plagensi : Schachtel 103), edimus.

Abdijstraat, 1

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

B-3281 Averbode

Servatius de Lairuelz, Sacrosanctae Theologiae Doctor, Monasterii novi Sanctae Mariae Mussipontanae humulis Abbas ¹⁾, ac Revmi R.D. Petri Gossetii Abbatis Praemonstratensis, totius eiusdem Ordinis Capituli ²⁾, ac Reformatoris ³⁾ per Circarias Bohemiae, Austriae,

¹⁾ Servatius de Lairuelz, natus in Soignies (Belg.), anno 1560, habitum religiosum Ordinis Praemonstratensis suscepit in abbacia S. Pauli Virdunensis anno 1580; frequentavit universitatem Mussipontanam (Pont-à-Mousson), in qua condiscipulus fuit S. Petri Fourier, et Didier de la Cour, postea magni reformatoris congregationis sodalium ordinis S. Benedicti de Saint-Vanne, quorum amicus fidelis fuit. Postea, anno scilicet 1597 usque ad annum 1617, ipsi committitur munus reformatoris generalis Ordinis. Abbas S. Mariae in Nemore, anno 1599 quidem qua coadiutor abbatis Danielis Picard, et anno 1601, qua abbas pleni iuris; anno 1607, huius abbaciae S. Mariae in Nemore sedem transtulit in civitatem Mussipontanam, ut formatio spiritualis et intellectualis sodalium Ordinis melius curari posset. Annis 1619-1628 erat visitator Circariarum Ordinis in Europa centrali. Obiit 19 octobris 1631. Cfr. de ipso : L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I. Bruxellis, 1899, pp. 478-482. Et Et. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 5). Averbodii, 1964 (cum ulteriori bibliographia).

²⁾ Petrus Gossetius (Gosset) abbas generalis Ordinis fuit annis 1613-1635. Cfr. de ipso C. TAIFÉ, *Prémontré*. T. II, Lauduni, 1873, pp. 76-100; L. GOOVAERTS, l.c., I, p. 322 s.

³⁾ Eo tempore maxima cura fuit in Ecclesia universali, ac in ordine Praemonstratensi in specie, ut sana reformatio positiva in praxim reduceretur. Ad hoc eo tempore nova Statuta confecta et tandem publicata fuerunt (anno 1630), ac in variis regionibus ober-vanda sparsa et communicata.

Silesiae, Moraviae, Poloniae, et totius Germaniae Vicarius Generalis ⁴⁾, Admodum Rdis D.D. Moraviae, Austriae et Silesiae Praelatis dicti Ordinis nostri Praemonstratensis, salutem et obedientiae zelum.

Cum anni superioris videlicet 1624 (sic!) ⁵⁾ autumno nos itineri accinxissemus ad Monasteria vestra visitationis ergo, dicti Revmi Generalis et Capituli itidem Generalis autoritate percurrando, iamque Monachium attigissemus parati recte in Bohemiam pergere, subitoque subitae et inopinatae Tartarorum in terras vestras irruptionis rumor in eadem Civitate volitans percrebuisset, statuimus tempus illud, quod vobis dedicaveramus, circa Suevica et Bavarica eiusdem Ordinis nostri Monasteria (quae tamen minus indigebant, utpote a nobis saepius perlustrata) impendere, ac interim occasionem vos invisendi commodiorem et tutiorem praestolari. Quam cum nos sub finem Junii proxime praeteriti comperissemus arbitraremur, Strahoviensi et Siloensi Monasteriis perlustratis, ad Novareischense ⁶⁾ properavimus. Sed vix ibi gressum fiximus, hoc non prorogandum intelleximus ob pericula itineris ulterioris et desolata monasteria visere, et exiguum Religiosorum in singulis numerum. Quid enim iuvasset periculis superatis loca regularia conspiciere, et vix ullum reperire qui ad disciplinam in illis exercendi et cogi potuisset. Quare quod praesentis vivo vocis impulsu praestare non potuimus, absentis scripto hoc nostro perficere constituimus. Praecipientes in virtute salutaris obedientiae Rdo D. Abbati Strahoviensi, Visitatori Ordinis ⁷⁾, ut in proximo suae visitationis cursu illud exe-

⁴⁾ Titulo « Vicarii Generalis » totius Ordinis ornatur de Lairuelz in Actis Capituli Generalis anni 1605 : inter Praelatos huic Capitulo assistentes, primo loco habetur : Reverendus praefatus Dominus Praemonstratensis (Franciscus a Longo Prato = de Longpré), et secundo loco : « Reverendus Dominus Servatius de Lairuelz, sacrae Theologiae professor, Abbas Sanctae Mariae in Nemore et Vicarius generalis ». (Ms. Laon, 538, p. 545). — Eodem modo se vocat de Lairuelz in constitutionibus ab ipso promulgatis die 16 maii 1606 pro abbazia Wiltinensi et publicatis in *Anal. Praem.*, XXXV, 1959, pp. 247-264; ibi de Lairuelz, l.c., p. 247 s. se dicit : « Servatius de Lairuelz, sacrosanctae theologiae doctor, sanctae Mariae ad Nemos humilis abbas, necnon reverendissimi domini domini Francisci a Longoprato, totius ordinis Praemonstratensis capitis, vicarius generalis ».

⁵⁾ Cum relictum visitationis a nobis hic editum statutum ac signatum dicatur anno 1624, annus qui anterior est anno 1624, supponi hoc loco deberet.

⁶⁾ Agitur de abbazia Neureisch : Neureisch, seu Nova Rise, in Moravia, hodie in dioecesi Brunensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. T. I. Straubing, 1947, pp. 302-304.

⁷⁾ Annis 1612-1640, Gaspar de Questenberg abbas erat Strahoviensis, in urbe Pragensi. Cfr. de ipso L. GOOVAERTS, l.c., II, pp. 71-74. Inde ab anno 1614 Vicarius generalis erat suae Circariae (Bohemiae et Moraviae). — In pluribus Capitulis generalibus abbas de

cutioni demandari potestate qua in ordine et saeculo pollet, diligenter satagat; et statim post visitationem illam coram Rmo D. Generali eiusdem visitationis suae rationes litteris agat, et si quis rebellis extiterit, eidem renunciet; vobis autem sub poena rebellionis, ut illum non minus quam nos audiat, ei enim omnem nostram potestatem et auctoritatem quam accepimus a Rmo et Capitulo praefato communicavimus.

Ad Pensi divini praxim in Choro.

Imprimis nullo in posterum praetextu horarum Canoniarum cantus contra Cap. 8. Dist. 1. Statutorum Ordinis nostri praescriptum omittatur ⁸⁾, nec distributio temporis a Capitulo Generali anno 1622 renovata ⁹⁾, ac in Statutorum recentiorum ordinem eodem Capite ¹⁰⁾ redacta, notabiliter sine Rdi D. Visitatoris ordinarii assensu immutetur.

Matutinum, etsi ubi viget studium legi extra festa triplicia quae ad officium Praelati, ut aiunt ibidem Statuta, pertinent, permittantur; tamen feriis illis cani integre media nocte debent. Quare deinceps non solum Laudes, sed et caetera in Choro sine ullis protractionibus extraordinariis persolvantur.

Ut Gregorianus Ordinis cantus deinceps non negligatur, et uniformis in omnibus Monasteriis existat; Breviaria, Missalia et Psalteria auctoritate Dni Generalis recenter editae ¹¹⁾ compareantur.

Ut autem horae tam Canonicae quam B. Virginis distincte et devote

Lairuelz visitator constitutus fuerat pro Circariis Europae centralis, cum potestate vero substituendi. Ita, v. gr., in Capitulo Generali anni 1619 dictum et conclusum fuit: « Circarias Poloniae, Boëmiae, Bavariae, Sueviae, et totius Germaniae visitabit Rdu Dnus Sanctae Mariae Mussipontanae, cum potestate substituendi », Ms. Laon 538, p. 600.

⁸⁾ Agitur hic de Statutis publicatis anno 1505. Tempore quo de Lairuelz suas visiones instituit, nova parabantur Statuta Ordinis, quae anno 1630 publicata fuerunt.

⁹⁾ Distributio temporis de qua hic sermo fit in Capitulo generali anni 1618 statuta fuit: ms. Laon, 538, p. 586 s. Hic dicitur distributionem illam temporis a Capitulo anni 1622 fuisse renovatam. Quod facile admitti potest; quamvis in Actis huius ultimi Capituli, uti referuntur in ms. Laon 538, de tali renovatione explicite nihil dicatur.

¹⁰⁾ Distributio temporis a Capitulis ordinata habetur in Statutis anni 1630, Dist. 1, cap. VIII. Cum in praesenti relicto visitationis sermo iam fiat de Statutis anni 1630, patet hoc relictum publicatum fuisse ab abbatibus qui huic relicto nomen suum in fine apposuerunt, post annum 1630.

¹¹⁾ Libri isti liturgici, sub abbate generali Gossetio, editi fuerunt annis 1621-1628. Cfr. de his editionibus: Pl. LEFEVRE, *La Liturgie de Prémontré*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 1), Averbodii, 1957, pp. 21-28.

juxta Canonem Dolentes extra de Celebr. Miss.¹²⁾ persolvantur, omnes se per stationes ab Ordine sapienter iniunctas ad eas praeparent. Quae autem desideretur praeparatio docet Optica Regularium, Specul. 61¹³⁾.

Tria Ordinis Sacra, videlicet Matutinale, B. Virginis et Summum¹⁴⁾ numquam omittantur. Et confessarius morum probitate et doctrina conspicuus, qui potestatem saltem aliqualem absolvendi a reservatis a D. Abbate accipiat, constituatur.

Novitii non minus quam caeteri cappam albam in Choro gestent. Conversi vero griseam et omnes ubique caputia quae caput tegere valeant.

Festum Sanctissimi Patris nostri Norberti 11. die Julii quotannis ex decreto Capitulorum Generalium celebretur. Idque nullum occurrens festum octavas dicti festi praepedire queat, prout plerumque contingebat quando 6. Junii celebrabatur. Ut autem plebs ad Indulgentias consequendas promptior existat, illae in Dominicam infra Octavas translatae sunt; prout videre est in Com. 2 Catechismi nostri Novitiorum, lect. 108¹⁵⁾.

¹²⁾ Agitur de hoc themate in Concilio Tridentino, sess. 24a, cap. 12 de Reformatione.

¹³⁾ Liber de quo hic fit sermo ita intitulatur : *Optica Regularium seu Commentarii in Regulam Augustini, Hipponensis Episcopi. In quibus quid contineatur, sequentes aliquot docebunt paginae. Auctore Servatio de Lairvelz, Doctore Theologo, Sanctae Mariae ad Nemos Abbate, et Reverendissimi D.D. Francisci a Longo Prato totius Ordinis Praemonstratensis Capituli Vicario Generali. Permissu Superiorum. Mussiponti. Apud Melchiorum Bernardum, Serenissimi Lotharingiae Ducis, et Universitatis Mussipontanae Typographum. Anno M. DCIII. 421 pp.* — In Capitulo generali anni 1605 (Ms. Laon, 538, p. 547) remittitur ubi agitur de peccatis reservandis aut non reservandis a Praelatis ad « Opticam Regularium » his verbis : « Quae autem peccata a Praelatis reservari possint et cur suos ad confitendum sibi auriculariter extra casum reservatos cogi non valeant, docetur in Optica Reverendi Confratris nostri Servatii de Lairvelz, Abbatis Sanctae Mariae in Nemore, ad quem sibi comparandam omnes hortamur, ut iuxta Capituli Generalis constitutiones valeant casus illos describere ». — Liber iste, Optica Regularium dividitur in « Mandata » in quibus successive textus Regulae S. Augustini tractandi indicantur, et in « Specula ». Speculum LXI ad quod hic remittitur, ita inscribitur : « Speculum LXI. In quo videntur remedia contra distractiones in Psalmodia, vel oratione privata contingentes ». Cfr. *Optica Regularium*, p. 218 s.

¹⁴⁾ In singulis canoniis a Statutis imposita erat celebratio quotidiana Missae Summae, Matutinalis et de Beata Virgine Maria. Cfr. Pl. LEFEVRE, l.c., p. 61 s.

¹⁵⁾ In Capitulo Generali anni 1618 actum fuit de novitiatu communi in singulis Circariis Ordinis instituendo, et de ratione qua novitii in novitiatu instruendi ac formandi essent. Additurque in specie (Ms. Laon 538, p. 584) : « Concedit Capitulum facultatem Visitoribus scribendi et statuendi ea quae ad novitiorum instructionem facere vide-

Ad faciliorem disciplinae regularis in Capitulo quotidiano praxim.

Correctiones regulares ex Capitulari excessuum et defectuum quotidianorum proclamatione pendent, adeo sunt ad disciplinae monasticae exercitium necessariae, ut Praelatus qui eas in dissuetudinem abire permittit, vel in eis exactus non est, exactam suae villicationis rationem reddere nequeat; imo vero frustra aliter in reformationis introductae conservatione laboret. Quare numquam omittantur; Capituloque quotidiano, in quo mediis proclamationibus huiusmodi correctiones exercentur, omnes diligentissime sub poena privationis vini in altera refectioe intersint.

Ut autem quotidiani defectus sedulo et tempestive corrigantur, Rectorum aliquis, prout praecipiunt Statuta, cap. 7 dist. 1, Capitulo intersit, sintque omnes superiores in corrigendis defectibus strenui, considerantes quod facientis culpam habeant, qui, quod potest corrigere negligit emendare, ac omnia fient in charitate et delinquentium spectetur emendatio, ac pereuntium salus.

Et ne ex Judicis in singulis Monasteriis supremi a Capitulo absentia proclamationum et correctione illarum theatrum volescat, praecipimus Rdis Praelatis ut singulis hebdomadibus semel saltem ad capitulare tribunal conscendant et ex eo singulos excessus et defectus suaviter et efficaciter corrigant, potissimum vero illos qui murmurationem contra P. Priorem vel aliquem rebellionem prae se ferrent.

Proclamationes leviorum excessuum a Circatore, vel aliis non neglegantur, quandoquidem dicente D. Basilio, nulla est in Religione observantia, quae aeternum gloriae pondus non operetur in nobis et facilis est a minimarum neglectu ad maiores lapsus.

Ut autem quisque proclamationes, ac correctiones illas aequè beneque consulere queat, stationes quae illis praemittuntur diligenter colat, ac se indesinenter exerceat in earundem stationum meditationibus, quas habet Optica Regularium, Spec. 61, ¹⁶⁾, et quas sicut et catedras, quae Vesperis, Completorio et Pastui praeponuntur, ad parietem prope

buntur. Imo vero ut illi instruendi methodo confirmandae operam suam quam citissime locent». Consequenter ad illam decisionem capitularem conscripsit ac edi curavit de Lairuelz magnum opus: *Catechismus Novitiorum et eorundem Magistri. Omnibus quorumcumque Ordinum Religiosis utilissimi*. 2 tomi. Mussimonti, 1623. — In Lectione 108 (o.c., I, coll. 871-902) agitur de regulis praescribentibus novitiis ut tempore fructuose utantur. — Cfr. etiam: *Anal. Praem.*, X, 1934, pp. 39-42.

¹⁶⁾ In Speculo 61 agit de Lairuelz de remediis contra distractiones in Psalmodia, vel oratione privata contingentes. Cfr. *Optica*, l.c., p. 218 s.

Refectorium, Capituli et Templi conscribere, variisque coloribus distinguere, non parum ad labilis memoriae sublevamen juvabit.

Circator tamquam fortis contra se ipsum athleta colatur et nullibi iudicem agat, vel se inquisitorem proclamatoremque aliter quam Statuta praescribunt exhibeat.

Nullus in Capitulo extra causas in Statutis memoratas ad se, vel alterum tuendum, altercari vel etiam loqui signis audeat, sub poena culpaе illi, ob quam proclamatus fuit, debita et ieiunii biduani in pane, aqua et offa in medio Refectorio, sine ulla dispensatione subeundi.

In culpis maioris momenti, quales sunt illae quae cap. 4 et sequentibus Dist. 3. Statutorum Ordinis nostri habentur, nullus in dicta causa damnetur. In levioribus autem sufficiat passim solum proclamantis, potissimum vero Circatoris, vel alicuius Superioris proclamantis testimonium, quandoquidem poenae non minus sunt leves quam culpaе.

Ignominiosae vero culpaе, nisi publicae sint, non proclamantur, sed Superiori tamquam patri vel tamquam Iudici (si charitatis ordo, de quo Optica, Specul. 45 et mandato 33 ¹⁷) permittat) denuncientur.

Et si nihil fieri debet in Conventu contra mentem Praelati, tamen non est consultum minimos quosque excessus vel defectus correctos vel corrigendos ad eum deferre, sed tantum eos qui continuam disciplinae regularis, vel sensus religiosi perturbationem secum vehunt; quod et attendant omnes, monemus ne qui illos commiserint, quasi duplici poena mulcentur, et ob id perturbentur potius quam emendentur.

Ad Capitulum Conversi ter in hebdomada accedant suas culpas denuntiaturi vel ab aliis denuntiatis audituri, poenitentiamque regularem suis obedientiis conformem suscepturi, vel si id commode fieri nequit ut loquuntur Statuta dist. 2., cap. 24, praecipitur ut is cui laicorum cura demandata est singulis Dominicis, festivisque eorum instructioni horam ad minus impendat.

Defensiones petitaе, quae locum adpellationis subeunt numquam denegentur, sed liberum sit unicuique extra res frivolas ad Rmum Visitatorem et Rev. num Generalem habere recursum.

Ad faciliorem disciplinae Dormitorii praxim.

Dormitorii fores omnes a Completorio claudantur, ut ad illud nemini accessus vel ab illo recessus pateat sine P. Prioris licentia.

¹⁷) In specie agit de hoc Lairuelz in Speculo 45 (*l.c.*, pp. 163-171) « In quo apparet, an Religiosi sub Obedientia Praelati in Monasterio, possit tuta conscientia quotannis accipere et retinere apud se certam quantitatem pro Vestiario ».

Cellarum visitatio tempore meditationis et examinis conscientiae a Circatore vel D. Priore, vel ab alio ab ipso constituendo numquam omittantur, sicut nec post octavam serotinam ut attendat an omnes se lecto commiserint, et vigilantes indiscrete ad lectum compellat, idque iuxta rescriptum Statutorum renovatorum ¹⁸⁾, cap. 12, dist. 2. nec minus frequens debet fieri visitatio tempore studiis assignato, ne quod studiis indulgetur somnolentia vel aliter infructuose teratur. Alienam cellam ut prohibent eadem Statuta cap. 13. dist. 1. sub poena jejunii tridui in medio Refectorii peragendi, exceptis Officialibus ad hoc deputatis nullus ingrediatur.

Ut meditatio a media sextae vel meridianae quotidie uniformiter in his circariis conduci queat, Conventus hora quinta surgat et statim audita media pulsus ad eam detur, et non nisi apertis ostiis, seu ostiorum foraminibus vel fenestellis inchoetur. Quod et in examine serotino conscientiae immediate post Completorium instituendo servandum sit, prout habent Statuta renovata, cap. 8., dis. 1.

Et quia meditatio adeo est ad vitam religiose instituendam necessaria, ut vix ac ne vix quidem possit quis sine illa in Religione non languire, Religiosi in illa diligenter instruantur; quia autem huiusmodi instructio vix extra exercitia spiritualia fieri posset, nullus ad habitum qui ante exercitiis illis non interfuit admittatur, sicut nec ad Professionem et Presbyteratum quisquam qui prius eisdem se non commiserit.

Etsi autem ad renovandum fervorem, et procurandam animae puritatem, promerendamque meditationis praxim expediret exercitia spiritualia annuatim sub sacerdote idoneo et exercitato, necnon ad arbitrium Rdi D. Visitoris ordinarii designando fieri, tamen quia ad id nos minime dicta Statuta adstringunt, non praecipimus sed tantummodo fraterne consulimus.

Ad faciliorem Refectorii disciplinae praxim.

Refectorium extra refectionis tempus semper sit occlusum ut nullus intrare secundum prohibitionem capit. 14. dist. 1. Statutorum queat; tempore autem proxime refectionem praecedente, vel subsequente nullus etiam praeter P. Priorem et Ministrum illud ingrediatur; nisi quando dabitur ultimus pulsus ad Mensam, ne ibi furtivae computationes fiant, vel colloquia silentio refectorii inimica misceantur.

¹⁸⁾ In hoc capite Statutorum renovatorum (anni 1630) agitur de Circatore et huius officio in monasteriis.

In mensa solus Prior oculos huc et illuc ad providendum omnibus circumferat; caeteri vero oculos suos circa orbem suum contineant.

In mensa omnes sedeant regulariter secundum ordinem quem in choro tenent, excepto quod R^{du}s Praelatus semper in medio maioris mensae sedebit. Prior vero in absentia Abbatis in eadem mensa, sed a sua parte, sicut etiam Supprior in absentia Abbatis ac Prioris necnon Circator in trium supradictorum absentia.

In prandii et coenae initio, puncta meditationis sequentis diei ex aliquo insigni meditationum libello praelegantur: et in coena repetantur, ut facilius memoriae commendari queant, et ab unoquoque ante lectum repeti. Ad mensam autem communem numquam lectio perpetua omittatur iuxta illud Regulae: Cum acceditis ad mensam, etc. ¹⁹⁾.

In secunda mensa omnes regulariter non minus quam in prima sedent, ac lectione si plus quam duo assideant reficiantur.

Colloquia post prandium et coenam quorum dist. 1. Statutorum, cap. 8. fit mentio, sic permittantur in eodem loco et numquam minus quam tribus simul colloquentibus, ut numquam horam excedant et meditationis sequentis diei examen primus quadrans sibi vendicent, reliqui vero spiritualium rerum veluti Statutorum, Regulae. Ordinarii, Lectionis mensae et similium agitent.

Colloquia ad mensam communem nulla permittimus ob detractationes vel nugas vel rixas vel potationes quae illa comitantur, idque auctoritate nobis per cap. 8. Dist. 1. Statutorum concessa; et illorum colloquiorum, seu recreationum loco singulis festis triplicibus et duplicibus in utraque refectione sciphum vini unicuique tam in prandio quam coena cum altero ferculo superaddi portioni ordinariae iubemus, et illis positis minutiones omnes quoad colloquia ad mensam communem, et non quoad venae secationem, inhaerendo Statutis renovatis tollimus, sicut et convivia quae in maioribus festivitatibus sibi deberi ex consuetudine ab Abbatibus plerique Monasteriorum Conventuales fingunt, etiam omnino interdiciamus, cum dies illi non potationibus sed devotionis fervori deputati dignoscantur.

Numquam saecularis ad mensam Conventualem nisi sub lectione perpetua admitatur. Qui secus fecerit, pane et aqua in altera Refectione contentus erit.

¹⁹⁾ Regulae praescriptum de quo hic sermo fit, ita sese habet : « Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite; nec solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant Dei verbum ».

Ex cibo vel potu subministratis nihil a Refectorio efferatur, etiam sub praetextu eleemosinae; sed omnes cibi potusque reliquiae Cellario fideliter tradantur sub eadem poena.

Ad tollendam nauseam quorundam et aliorum intemperantiam, edulia in separato disco cuilibet ministrentur, sicut et potus cerevisiae et vini determinetur in separato cantharo.

Cellarius magnam curam gerat ut cibi bene coquantur et praeparentur, ac infirmis cibis potusque convenientes suo tempore suppeditentur; Superioresque eos saepe invisent et consolationis oleo foveant, et si quid desit, porrigi quam citissime satagant.

Ad firmiorem Paupertatis promissae praxim.

Quia paupertatis neglectus est potissima lapsus Religiosorum causa, ut annotat Navarrus in Commentariis suis de Regularibus²⁰), tanta Communitatis victus et vestitus sive vestiarii communis in Regula Augustiana ad quam nos in professione adstrinximus praescripti cura habeatur ut rimulae omnes per quas sancta illa victus et vestitus communitas evadere, vel proprietas regredi possit, dilligentissime obstruantur.

Ad rimulas autem illas obstruendas locus ab adm. Rdo D. Visitatore assignandus pro vestiario sic praeparetur, ut in hyeme ad vestes omnes aestivales, et in hyemales asservandas sit aptus. Is enim est communitatis quoad supellectile observandae modus a Sto Legislatore nostro praescriptus, his verbis: Vestes vestras in unum habeatis.

Ad rimulas obstruendas, Rdus cuiuslibet monasterii Praelatus sic suis provideat, ut iustam conquerendi causam arripere nequeant, curetque fratrum iuxta caput 19. Dist. I. Statutorum renovatorum singulis mensibus advertat quae necessaria et quae superflua, ut ex iudicio D. Abbatis necessaria suppleat et superflua tollat.

Ad easdem obstruendas linea omnia sic asservet in vestiario, ut non nisi quando actualiter necessaria erunt praebantur. Praeberi autem singulis diebus Sabbatinis unicuique duo indusia, duo strophilia et duo mantialia possunt. Non tamen sic, ut pluribus egenti plura derogari

²⁰) Agitur de Martino de Azpilcueta, Navarro dicto, eo quod natus fuit in pago provinciae de Navarra (Hispania) (+ 1586). Plurima scripsit opera moralia et iuridica. Cfr. A. LAMBERT, *Azpilcueta in Dictionnaire d'Histoire et de Géographie Ecclésiastiques*, t. V (1931), coll. 1368-1374). Opus hic indicatum est : *De regularibus Commentarii quatuor*. Roma, 1584.

debeant, contra Regulam, quae ait : Non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes.

Ad easdem obstruendas, unicuique duplicia instrumenta tam exteriora quam interiora in Cella permittantur. Idque iuxta Cap.19, dist.2 Statutorum ²¹⁾).

Ad easdem obstruendas, etsi uniuscuiusque vestes laneae et lineae nota alphabetica distingui permittantur, ut iuxta magnitudinem cuiusque et infirmitatem nostram a Sto nostro Legislatore nostro memoratam, suo tempore possint unicuique restitui, tamen in potestate Rdi Praelati sit vestes unius alteri tradere, quando iudicaverit expedire, ac praesertim junioribus et Novitiis, qui depositis sacerdotum vestibus lotis possunt passim indui. Imo vero ad maius paupertatis exercitium vestes sive alia, quibus quisque maxime afficitur et delectatur, mutare saepius expediret.

Ad easdem observandas, Catalogus suppellectilis a Conventualibus feria 4tae hebdomadae Sanctae Rdo Praelato tradatur, a Parochis vero externis feria 4a Dominicae primae Quadragesimae, qui et debita activa et passiva debita, et sub poena sepulturae in sterquilinio in generalibus Ordinis nostri Capitulis contenta ²²⁾).

Ad easdem obstruendas, cista sigillo Conventus et pecuniis asservandis deputata tribus clavibus muniatur, sicut et locus ille in quo monasterii documenta custodiantur, iuxta cap. 15, dist. 4 Statutorum ²³⁾).

Quia rationes monasterii quotannis ex cap.19, dist. 2 Statutorum ²⁴⁾), agenda sunt, diligenter attendat qui illas agit, ne quid studio occultans in proprietatis abissum ruat.

Pecuniae ex oblationibus vel ex aliis quacumque re provenientes Prioribus commissae Imo cuiusque mensis ab ipsis Prioribus rationes D. Praelatis, sub poena proprietatis debita, fideliter exhibeantur.

²¹⁾ Agitur in hoc capite Statutorum de vestitu religiosorum.

²²⁾ Sufficiat sub hoc respectu referre decisionem Capituli generalis anni 1605, in qua (ms. Laon 538, p. 550), haec dicuntur : « Renovatur constitutio Capituli Generalis anni 1575 et anni 1577 de suppellectili religiosi tam parochi quam claustralis describenda semel in anno et tradenda Domino Abbati vel Priori in absentia Abbatis, et de debitis activis et passivis eidem scripto tradendis sub poena sepulturae in sterquilinio ». — Quod in Statutis anni 1630, dist. II. cap. 23, nr. 27 ita proponitur : « Quod si quispiam in suo computu vel descriptione dolose et fraudulenter egisse, et res aliquas maioris momenti vel notabilia debita suppressisse comperiat, tamquam proprietarius puniatur, et si sic mortuus fuerit, sepultura careat Christiana ».

²³⁾ Agitur in hoc capite Statutorum anni 1630 de Visitoribus et eorum officio.

²⁴⁾ Cfr. nota 21.

Domini autem Praelati se administratores tantum, non bonorum Monasterii dominos saepius recogitent, nec plures alant aequitaturas, aut ampliorem familiam quam R. d. Visitator communi consulens bono expedire iudicaverit.

Caveant etiam ne Dominos se arbitantes pecunias profundant in equos, bombardas, gladios, et similia quae deinde quibuscumque ipsos invisentibus largiuntur in fraudem crediti sui monasterii, hoc ipso proprietarii effecti.

Caveant Monasteriorum praedia aliis Religiosorum Conventibus etiam manente iure subiectionis vendere; perit hic ius devolutionis eo quod Conventus immortales sint, ut sileam alia incommoda, quae inde pullulant.

Ad faciliorem voti Castitatis observantiam.

Balnei usus, si est necessarius, regula permittente permittatur, non tamen pluribus in eodem balneo nudis existentibus et se invicem abludentibus.

In portarium assumatur vir probus et timens Deum (verba sunt Statutorum, cap. 22, dist. 2.), et qui adventantes hospites suscipere ac dirigere, eisque responsum dare possit, omnique tempore portam diligenter clausam teneat.

Ne jejunia solvantur, collationes sic instituantur, ut vino et pane apposito Religiosi non oppleantur, quod plerumque accidit, cum collationes protrahantur. Quare quadrantem non excedant.

In Adventu, Quadragesima, Sexagesima et Quinquagesima, carnes ne quidem extra Monasterium concedantur, idque ne Pontificiae Bullae ²⁵⁾, et Cap. 11, dist. 3. Statutorum ²⁶⁾ violentur, ac januae ad evagandum illis temporibus aperiatur.

Dispensatio circa abstinentioniam dierum Mercurii, vel Septuagesimae vel Adventus a nemine praeterquam a Summo Pontifice concedi potest, prout Capitula generalia annorum 1618 et 1619 agnoverunt ²⁷⁾.

²⁵⁾ Bulla ista Iulii P.P. II, anni 1503, quae impressa habetur in editione Statutorum anni 1630. Averbodii 1898. De esu carnum concessa vel vetita, de ieiunio servando et quando, efr. ibidem p. XXIX.

²⁶⁾ In Statutis anni 1630 de hac re agitur in Dist. I, cap. XI : De Victu.

²⁷⁾ Ea quae hic proferuntur tamquam imposita a Capitulis generalibus annorum 1618 et 1619, iam clare declarantur a Capitulo generali anni 1605 : « Quia ieiunium et abstinentia maxime patrocinantur castitati, sedulo observetur illa Statutorum nostrorum

Quare caveant Rdi Praelati ea in re dispensatoris auctoritatem usurpare.

Parochi autem et alii omnes extra Monasterium habitantes eadem prohibitionis lege a carnibus abstinere nominatis diebus teneantur, quandoquidem abstinencia illa non minus ipsis quam claustralibus per idem Statutorum caput iniungitur.

Parochi suas coquas et alias ancillas sub poena rebellionis ejiciant, ut castitatem Deo promissam facilius tueantur, et plebi bono sint exemplo, malaque quae ex illis cohabitatione contingunt plane evitent. Ejectioni autem illi sic incumbat Rdus Abbas Strahoviensis ²⁸⁾, Visitator ordinarius, auctoritate qua in Ordine nostro et in saeculo pollet, ut ante Sancti Martini hyemalis anni sequentis festivitatem omnes eiectae sint, et si qui rebelles existant, omni iuris tam canonici quam saecularis via ad eam compellat et tandem parochiis exuat et ad clausuram redire cogat. Nullis autem deinceps ad parochias concedatur, qui iuramentum de non habendis ancillis non praestiterint.

Quilibet Abbas per se, vel alium zelosum et discretum Ordinis sacerdotem annuatim Parochos et alios extra Monasterium habitantes visitet, ac eorum mores, sicut et familiam diligenter scrutetur, et si debita indebite contrahere, vel habitum integrum Ordinis non gerere, vel frequentare caupones vel coquas sive alias ancillas habere, vel scandalum aliquod committere reperiantur, statim ad Clausuram revocentur; iuxta Capituli Generalis anni 1605 edictum ²⁹⁾.

Nulla mulier quantumvis pudica Dominorum Praelatorum vel Cellariorum ne quidem ad sternendos lectos, cubacula intrare permittatur. Idque ut omnis occasio peccati tollatur, et ansa suspicionis detractoribus, sive maledicis praeripiatur.

Distinct. Iae et Bullae Pontificiae (Iulii II) initio eorundem Statutorum (vide supra, n. 25) insertae constitutio de ieiunio Adventus et dierum Veneris, et abstinentiis Septuagesimae, Sexagesimae et dierum Mercurii totius anni. Nec in eo aliquis praesumat dispensare, cum nobis etiam capitulariter congregatis hanc dispensandi facultatem Bulla Pontificia supradicta omnino praescindat, cui inhaerendo Capitula generalia annorum 1526, 1535, 1541 inhihent omnibus et singulis Praelatis Ordinis nostri, ne super esu carnium tempore Septuagesimae et Adventus attentent dispensare». (Ms. Laon 538, p. 550).

²⁸⁾ Abbas iste erat Gaspar de Questenberg, abbas Strahoviensis annis 1612-1640. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 313.

²⁹⁾ In Capitulo generali anni 1605 (in quantum Acta huius Capituli, asservata in ms. Laon 538, docent), insistitur quidem in veste Ordinis gerenda et in servando voto paupertatis, sed de his quae hic in textu indicantur, praecise sermo non est. In aliis vero Capitulis iteratis vicibus de hac re actum est.

Si villa monasterii non possit sic constitui, ut mulieres passim adventantibus non occurrant, saltem sic illi provideatur, ut omnis mali species absit, et si quae suspectam se exhibuerit, illico amoveatur.

Et quia otium malarum cogitationum est seminarium, lectio Casuum conscientiae a Ima pomeridiana usque ad secundam habeatur. Quod vero officiis Chori peractis superest temporis, studiis et obedientiis sic concedatur, ut Concionatores ordinarii ad opus manuum non compellantur.

Ut computationes omnes tam diurnae quam nocturnae exulant, nemini Provisor et Cellarius vinum vel cerevisiam sine D.Praelati vel Prioris facultate subministrent.

Domini Praelati in praediis extra Monasterium rarissime et non nisi cum comite conventuali pernoctent. Caveantque dum sunt vicini Civitatibus indulgere Conventualibus ut quacumque frivola causa ad Civitates pergant, multo minus ut ibi prandeant vel coenent.

Vini adusti usus aut nullus sit aut rarissimus, dum enim plerique illud mane bibunt incensis interioribus tota die pocula sitibundi frequentent.

Ad obedientiae praxim.

Valet plurimum ad obedientiam in Monasteriis retinendam bonum Praelatorum exemplum. Quare studeat D. Praelatus intrepide ad suos hunc habere cum Gedeone populi Israelitici Duce, sermonem: Quod videritis me facere facite³⁰⁾; et exercitiis Chori, Capituli et Refectorii quotiescumque patiuntur negotia intersit. Neque enim aliam coram Deo praetendere poterunt D.Praelati de absentia excusationem, quam iustum oneris sui impositi impedimentum.

D.Praelatus hospites spectabiles sic tractabit, ut superfluitas absit, et lectionem aliquantulum ad mensam suam adhibere curet iuxta illud Cap.4.dist.2. Statutorum³¹⁾, ut Divinarum Scripturarum lectio Abbatum mensis, ut Regulae satisfiat, semper admisceatur.

Et quia Novitiatus solidum ac firmum est totius disciplinae regularis fundamentum; ille sic instituatur, ut duorum sit annorum iuxta cap.15 Statutorum recent.dist.1³²⁾, quorum alter erigetur in Monasterio

³⁰⁾ Textus iste habetur in libro Iudicum, 7, 17.

³¹⁾ In Statutis anni 1630, de hac materia agitur in cap. XII distinc. 2ae.

³²⁾ In Statutis anni 1630, agitur de magistro Novitiorum in dist. I, cap. XIX et XX (potissimum caput istud XX elementis positivis atque praeclaris eminet).

Strahoviensi, quod tamquam disciplinae regularis caeteris tenacius seligimus ad Novitiatum communem, qui ante anni elapsum sub poena rebellionis, autoritate Rdi D. Visitatoris ordinarii secundum normam eodem Capite praefixam, scilicet et secundum Regulas, methodumque a nobis eidem traditam administrabitur.

In Novitiis autem tam in communi, quam speciali Novitiatu formandis, et finiendum Magistrorum laborem, non parum proderit Catechismus Novitiorum, autoritate Rdi Generalis recenter editus ³³). Quare la data occasione a quolibet Monasterio duo aut tria exemplaria comparentur.

Et quia harum Circariarum Dominis Praelatis difficile esset magistrum aptum et idoneum adinvenire, utpote quod in Circariis suis nullum habens eius exercitii insoliti peritum, Vicemagistrum ex alia Circaria, si fieri poterit, mittemus, qui sub magisterio, autoritate, zelo adm. Rdi D. Strahoviensis ³⁴), Visitatoris ordinarii, integro anno Novitios probet; lectionem ad eos quotidianam habeat; exerceat, reprehendat, corrigat, observet, consoletur, stimulet.

Pro victu autem cuiusque Novitii convenient Praelati inter se quid erit iuxta caritatem annonae quotannis solvendum.

Nullus sacramento professionis initietur, qui in communi Novitiatu annum integrum non exegerit.

Etsi habitus non faciat monachum, tamen qui eum prae se fert, et religionis nostrae canonicae non exiguum est indicium, et ornamentum, nulli caputium gestare negligant, ne erubescens habitum suum coram hominibus, erubescat eos coram Deo Sanctus Pater Norbertus, qui dicti habitus fuit author et gestator.

Nullus cum externis sive in Templo sive in Conventu absque Praesidis venia sermones miscere, sub poena solventibus silentium debita praesumat.

In omnibus quae sunt Ordinis et disciplinae, Prior, prout volunt Statuta, cap.10. Dist.2. fratribus suis praeluceat, et ut cuncta exacte servantur, diligenter procuret.

Numquam a templo, mense, aliisque Conventualibus exercitiis nisi ex justa causa se absentem, sed in omnibus se primum exhibeat.

Absente Abbate, fratribus officialibus in Abbatia existentibus non

³³) Alludit de Lairuelz ad opus a se confectum *Catechismus Novitiorum* dictum. Cfr. supra n. 15. — Cfr. ulterius L. GOOVAERTS, l.c., I, p. 481; Et. DELCAMBRE, l.c. (praefatio P. MAROT), p. XXVIII-XXX.

³⁴) Gasparus de Questenberg (cfr. supra n. 8 et 28).

minus quam exteris superintendat, et ne quid inordinate geratur advigilet.

Cum hospitibus quoque ut eadem Statuta loquuntur in Praelati absentia, nisi habeat aliud eius ordinatio, assumpto secum socio concedere valeat, eo praesente et absente intus et foris de omnibus et in omnibus secundum voluntatem ipsius se habeat, neque illam ullo pacto, transgrediatur.

Sub poena proprietario debita, aedificia nulla sine Rdi D. Visitatoris, vel P. Abbatis venia destruantur vel construantur.

Barbae aequaliter et ad cutem usque tondeantur, nec prolixiora mento quam a maxilla pendeant.

Sine Comite ne quidem Parochi interni exeant monasterio, idque ut Regula in professione assumpta teneatur.

Ut Domini Praelati rationem villicationis suae coram Deo, ut superioribus intrepide agere queant, Capit. 1. 2. 3. 4. et 5. dist. 2. Statutorum renov. frequenter legant et secundum ea mores suos studiose componant.

Nullae alienationes bonorum immobilium cuiuscumque Monasterii Ordinis nostri, vel permutationes vel venditiones vel concessionem ad vitam suam, nisi secundum cap. 18., dist. 4. Statutorum renov. dicti Ordinis fiant; alioqui sint irritae, sicut et illae omnes sunt, quae hactenus sine debita Superiorum facultate factae dignoscantur, utpote iuri etiam communi contrariae, et sine substantialibus solemnitatibus requisitis ad validam bonorum ecclesiasticorum alienationem factae. Quare D. Praelati monasteriorum suorum sic alienata vel concessa recuperare omni studio contendant.

In posterum omnes nigrae vestes seponantur, neque earum amplius sive in itinere aut cuiuscumque necessitatis praetextu sit usus, cum nihil color conferat et alia Ordinis nostri vestes maculatae facile lavari queant.

Domini Praelati litteras dimissorias Conventualibus suis sine temporis et loci restrictione ab arbitrio Rdi D. Visitatoris pendente non concedant: quandoquidem dimissi in omnem Ordinis nostri contumeliam, disciplinam aversantes non iam abutantur, dum a loco in locum scandalose saepenumero evagentur.

Ne Deus qui de bono ac zeloso pastore Ordine nostro providit ³⁵⁾, eum sospitem ad multos annos tueatur, quilibet Sacerdos in sacro tam

³⁵⁾ Petrus Gosset, abbas generalis annis 1613-1635. Cfr. supra, n. 2.

privato quam solemnī primam vel ultimam Collectam sic concludat :
Et famulum tuum Patrem Generalem nostrum ab omni adversitate custodi.

Atque hae sunt Constitutiones quas pro disciplinae regularis observatione edendas duximus. Praecipientes Superioribus, ut eas cum Statutis recentioribus quae R^{du}s D. Visitator ³⁶⁾ in singulis sacrae visitationis suae monasteriis describi curavit, prout praescribit postremum generale Capitulum ³⁷⁾, studiose et exacte servant, et ab aliis observari curent, easque ad mensam primo cuiusque trimestris die praelegi satagant, quamdiu omnia in praxim redacta non fuerint.

Ut autem voluntatis et sollicitudinis dicti Reverendissimi Domini Petri Gossetii, Abbatis Ordinis nostri Generalis, ac Capituli Reformatorisque nostri, testes hae constitutiones existant, nulla adventantium Visitorum manu tollantur, alii Superiores ad tuendam disciplinam uti et muniri adversus rebelles, vel pusillanimes, suasque constitutiones corroborare queant.

In quorum fidem et robur praesentes in Cottisovicensi ³⁸⁾ Monasterii die 5a Augusti anni 1624 nostris chirographis et sigillo consuetis muniri curavimus.

f. Servatius de Lairuelz, Vicarius supradictus ³⁹⁾.

P. Norbertus, Abbas Staingadensis ⁴⁰⁾.

(Locus sigilli).

De mandato adm. R^{di} DD. Mei Abbatis supradicti,

fr. Claudius Ferry, Prior S. Mariae Mussipontanae ⁴¹⁾.

Concordat cum originali quod ego attestor : Fr. Andreas, Supp. Monasterii Strahoviensis.

³⁶⁾ Servatius de Lairuelz.

³⁷⁾ Cfr. supra, n. 4.

³⁸⁾ Abbatia Chotieschoviensis (Chotieschau; Chotesov), in hodierna dioecesi Pragensi. Relictum visitationis hic editum destinatum erat directe abbatae isti.

³⁹⁾ Vide supra, n. 4.

⁴⁰⁾ Norbertus Marstaller abbas Steingadensis (in dioecesi Augustana = Augsburg), annis 1623-1645. Cfr. N. BACKMUND, l.c., p. 52.

⁴¹⁾ Claudius Ferry, professus abbatae Salinae Vallis (Salival) iteratis vicibus occurrit in fati vitae de Lairuelz. Cfr. DELCAMBRE, o.c., Table des noms, p. 299.